

**Discursus De Nummo : Quod eius occasione damnum irreparabile communi  
hominum societati & imprimis toti Germaniae sit illatum**

Rostochii: Sax, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756911885>


Druck Freier  Zugang





*Nsm - 1403.*

Ex  
Bibliotheca  
Academiae  
Rostochiensis



DISCURSUS  
DE  
NUMMO

Quod ejus occasione damnum  
irreparabile communi ho-  
minum societati & impri-  
mis toti Germaniæ  
fit illatum.



ROSTOCHII,

Typis MAURITII SAXONIS,

Anno M. DC. XXIII.

St. O. (1723)

Nm - 1403

Nsm

入  
二  
十



**N**UENTOREM nummi summis  
pradicandum laudibus neminem ambigere  
puto; cum rem adeo necessariam humano ge-  
neri quo permutationum difficultatibus sub-  
veniretur, invenerit. Antiquissimis enim  
temporibus numus plane erat incognitus,  
neq; aliud merx aliud pretium vocabatur,  
sed unusquisq; secundam necessitatem temporū ac rerum, utili-  
bus inutilia permutabat, teste Homero qui exercitum Gracorū,  
are, ferro, hominibusq; vinum sibi comparasse refert: & aliis  
quam plurimis, qui Armenios Scytas, Sarmatas & alias gen-  
tes, merces non interventu pecunie sed rebus commutare consu-  
esse perhibent. Evenit enim plerumq; ut quod alteri superest  
alteri desit. Sed quia non semper nec facile concurrebat, ut,  
cum tu haberes, quod ego desiderarem, invicem haberem quod  
tu accipere velles; necessario inventa videtur materia, cujus  
publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum  
equalitate quantitatis subveniret. Et quidem apud Eleos  
quidam ex argento nummos certi & legitimi ponderis à Phado-  
ne inventos putant, apud Persas Darium primum ex auro mo-  
netam percussisse: In Latio Saturnum areum nummum repe-  
risse tradunt; aliis in locis alios ex alia materia, quo necessitati-  
bus & difficultatibus quas ex rerum permutatione provenire  
videbant succurrerent & subvenirent. Apud nos etiam  
Necessitas monetam cupream invenit quamvis contra constitu-  
tiones Imperij. Eadem aliquando fecit ut plane non attentā  
equalitate quantitatis vel proportione justa inter materiam  
pondus & valorem, moneta fuerit cusa coriacea, quemadmodū  
sub

sub Friderico secundo factum traditur. aliquando papireacea quemadmodum ab Lugdunensibus ab Hispano anno 1573 obsecris factum est.

Sed quidquid illud sit; Laudent alij Inventorem nummi, pradicent alij nummi usum necessarium, quorum laudibus nihil detractum velim. Verum tamen est nummi sive pecunie occasione damnum irreparabile, imo plus damni quam utilitatis communi hominum societati, & imprimis toti Germania illatum.

Quemadmodum enim occasio furem facit, ita pecunia causam & ansam praebeuit subtilissimis furtis, fraudibus & imposturis, litibus & jurgiis. imo confusio- & extrema omnium rerum caritati. multos ad summam redegit inopiam, multos etiam potentia & opibus primum auctos tandem prodidit & infamis aliisq; legum dignis dignos subjecit poenis.

De Atheniensibus scribit Gellius quod subtilia furta vix reprehensione digna censuerint; de Spartanis, quod industria cuidam & ingenij solertia illa deputarint. De Colchis refert Busbequius quod furandi solertiam in magna laude ducant. & cum qui dextro furatur Mercurio magnum habeant: qui nescit ut stipitem & truncum despiciant, & vix luce communi dignum judicent.

Ad hosce relegare oportebat eos qui subtiliter monetam radendo, de monetâ monetam cudendo & similejus pondus legitimum minuendo, vel materiam ipsam corrumpendo, opes ac facultates suas augent aliorum magno & vix reparabili damno. quam enim artificiosè hoc modo inscios nihilq; tale cogitantes quibusdam in locis dimidia bonorum parte defraudarint; quibusdam in locis ne quidem tali lucro contenti fraudis & doli hujus ignavis vix octavam imo vix 12. totius substantia partem reliquerint, plus quâ manifestû est. Imo cum attenuare & imminuere monetam amplius non liceret nisi plane in fumum eam abire vellent, & detecta in super fraude, dolû dolo addiderunt; nimi-

rum monetam adulterarunt & plane ferream vel cupream, leviter saltem argento tinctam pro vera & justa venditare etiam ipsa moneta erubescere non erubuerunt. Taceo quod quidam charactere vel signo sunt abusi, & ita citra specialem concessionem sive potestatem falsas cuserunt & signarunt monetas.

Taceo quod quidam summis eò contenderunt viribus, quò veterum Principum antiqua & optima numismata tanquam illegitima conflarentur & alia ex inde pecunia nota melioris, deterioris omninò inquam cuderetur. de quibus Budæus hisce verbis ferè scribit: Vidimus edictum præconio promulgatum, quo omnibus numismatis præci usus abrogabatur, tam nostratibus quam externis, perinde quasi nullus nummus locabilis esset qui non equalis nostræ memoriæ fuisset. Sed quamvis minax ac tumultuosum præconium, consensus hominum jure optimo neglexit, præsertim autore sublato de medio. Quod enim tandem, edictum iniquius excogitari potuit, & in majores nostros magis injurium, quam monumenta memoriæq; Regum perpetuo delere? Eo mandato id agebatur, ut optimum quodq; numisma conflaretur, & inde pecunia nota omnino deterioris cuderetur & signaretur. O improbum inventum, & si fieri posset memoriæ hominum eximendum!

Non adeo improbum non adeo injurium nec tamen laudandum est illud cujusdam libera Reipub. inventum, quod tempore indigentiaë nummis certum & quidem exiguum quam fieri potest imponunt valorem, & sic ab aliis mutuam sumunt pecuniam, ubi vero solutionis tempus instat, nummos ad priorem vel etiam majorem aliquando reducunt valorem; quò si non plus ad nimum inter medii temporis usuras lucentur.

Nec mirum si hac probè consideramus, depravationes corruptiones & mutationes hæc monetarum ansam multis perplexis præbere questionibus & jurgiis. Adeo ut etiam quarundam de-

dam decisio planè exinde dependeat. Exempli gratia queritur: Quenam sit causa quod monetarum valor ita mutationibus subjaceat? quod taleri Imperialis valor adeo crescat? & mutato nummi valore quodnam tempus an contractus an vero solutionis sit inspiciendum? Quæ res ut paulo manifestior fiat ab ovo quasi est repetenda.

Nimirum ad moneta perfectionem tria requiruntur; Materia Forma & Ponderus. quemadmodum hoc expresse Imperatores Valentinus & Valens in l. 1. C. de Veteris numismatis potestate. hisce verbis innuunt: Solidos veterum Principum veneratione formatos, ita tradi ac suscipi ab eminentibus & distrabentibus jubemus, ut nihil omnino refragationis oria-  
tur, modo debiti ponderis sint & speciei probe.

Unde etiam tribus modis, falsum quis committere potest in moneta: materiam corrumpendo, auctoritate vel signo abutendo & pondus minuendo.

Intrinfeca nummi bonitas dicitur propriè ipsa nummi substantia tam in materia quam in quantitate seu pondere: illa est fundamentum & causa valoris in moneta, qui pro diversitate materia & ponderis est diversus. siquidem in Rebus. bene constituta inter valorem, materiam & pondus justam oportet esse proportionem Velut ita publicâ lege Imperij constitutum est. & materia ita est æstimanda & tanti, quantum alias valeret publico charactere non percussa.

Unde etiam non absurdè statuunt illi, qui numismata de publico sive publicis expensis cudenda nec pluris à Principibus & aliis jus monetae cudenda habentibus æstimanda esse quam materia ipsa sine publico charactere æstimaretur, contendunt.

Vt redeamus unde digressi sumus: Si nummi materia vel ejus legitimum pondus non corrumperetur nec minueretur, etiam monetae minoris & majoris valor non mutaretur, nec rerum pretia nisi ob earum penuriam & raritatem aufererent. sed

rent. Sed quia moneta minoris materia vel si non materia ta-  
men pondus materiae legitimum minuitur, & ita intrinseca  
ejus bonitas decrescit, Valorem Joachimici speciei probe & le-  
gitimi ponderis (qualis ille maximè ex parte ad huc hodie man-  
sit) respectu minoris depravata & imminuta moneta augmen-  
tum sumere, mercesq; pluribus vendi assibus, quo justa serve-  
tur proportio, oportet.

Exemplo nobis sint nummi quos duplices asses Doppelschillinge vocamus. Joachimicus aestimabatur olim triginta duobus assibus i.e. Sedecim Doppelschillingen legitimum autè duplicis assis pondus erat & ad huc esse debebat, drachma ein Quentin. Ante annū ejus pondus erat semidrachma hodie duo scrupula. Inde etiam ante annum aestimabatur talerus imperialis sexaginta duobus, hodie quadraginta octo assibus. Ita apparet imposititium nummi valorem vel extrinsecam ejus bonitatem, rerum omnium caritatem, valoris in moneta minori diminutionem sive decrementum, in majori verò augmentum hactenus non induxisse. Sed imminutionem sive decrementum monetae minoris in intrinsecā ejus bonitate i.e. Corruptionē vel materiae vel imminutionem ponderis legitimi fecisse, ut Joachimici & ceterarum rerum valor creverit. nec quengquam adeo stultum & stolidum reperiri puto qui dixerit aequè divitem esse eum qui unicam tantum argenti marcam habet quam quiduas. Hinc etiam colligere licet, injuriam fieri illi qui ante aliquot annos centum florenos, & in singulos florenos 24 asses probos, pondus semidrachma habentes, mutuo dedit; Si cogatur recipere centum florenos in tali moneta qualis hodie in usu est, ille enim tertiae sortis parte defraudabitur. Vice versa iniquum foret illum qui ante annum centum alicui florenos mutuo dedit, cum duorum assium pondus semidrachma tantum esset, si debitor 100. florenos hodiernae monetae ubi trium assium pondus drachmam conficit, creditori cogere tur solvere, ille enim quarta parte plus solveret.

Verum

Verum quia hac ita subtiliter probe & semper observare  
impossibile visum fuit: Edictum ab illustriss: Principibus Me-  
gapolensibus Dominis nostris clementissimis promulgatum est,  
quo hac difficultas sublata & in omni tali contractu solutionis  
tempus attendi debere cautum est.

Non equidem diffiteor hodie non plus emi asse quam  
ante annum. cum tamen ejus intrinseca bonitas pro quartâ  
parte sit aucta. Malitia est hæc & avaritia hominum, qui nec  
Imperatorum nec principum nec aliorum Magistratum jusibus  
ac mandatis parere volunt.

Jmpp. Valentinus & Valens rescripserunt in l. 2.  
C. de veter. mum. pote. Pro imminutione quæ in æstimatio-  
ne solidi forte tractatur omnium quoq; pretia specierum  
decrefcere oportere.

Illustrissimi Principes Megap. Domini nostri clementif-  
simi publico Edicto mandarunt & voluerunt, ut auctâ jam bo-  
nitate intrinsecâ moneta pro quartâ parte, pro eâdem quoq;  
parte rerum pretia decreferent.

Laudabile illud & rationi convenientissimum edictum,  
merito & jure sequutus Senatus Rostochiensis idem de suggestis  
publicari jusit. Sed prohdolor homines obliti mandati Divi-  
ni, obliti obedientie Magistratui debita, obliti dilectionis pro-  
ximi & summa æquitatis tantum abest, ut rationem monete &  
ejus incrementi habuerint, ut etiam pluribus merces suas ven-  
diderint & ad huc vendant florenis hodiernis quam antiquis  
illis nota deterioris.

Venditur tonna cerevisia Rostochiensis novem & am-  
plius Marcis Danicis quæ hodie apud nos talerum imperia-  
lem cum dimidio constituunt. Cum vero novem marca Da-  
nica facerent talerum imperialem cum ejus parte octava, ven-  
debatur tonna cerevisia octo marcis & ita talero uno. Ita  
decrefcente Joachimici valore pro quarta parte sive potius ex-  
crefcente

crescente moneta minoris intrinsecâ bonitate pro parte quartâ; contra rationem, contra constitutiones Principum, imo contra ipsam æquitatem excrevit cerevisiæ pretium pro dimidia parte; Cum tamen illud si non pro quartâ saltem pro aliquâ parte decrescere deberet.

Causantur cerevisiarj caritatem sive annonam hordei & lupuli; sit ita: Sed quis causam dedit illi caritati nonne ipsi? an illi attenderunt tempore promulgati Edicti quod ex hordeo & lupulo viliori illâ pecuniâ emptis cerevisiâ coxerunt? annon crescente pretio cerevisiæ, crescente pretio aliarum rerum avaritiâ mercatorum, cerevisiariorum, laniorum, pistorum, cascariorum, salsamentariorum & aliorum, crescere pretia rerum quas Nobiles, quas rustici divendere solent, licet nulla earum fuerit penuria, oportuit? Inverso plane modo & ordine. At dicat hic aliquis. Cum plures ex Mercatoribus ab aliis mutuo sumptâ negotientur pecuniâ; nec tempore solutionis pro ut antea dictum, attendatur, quanam, aut cuius bonitatis, tempore contractus fuerit moneta; iniquum foret, si pro ratione meliorationis moneta cogerebantur distrabere merces suas. nam, eomodo non tantum intermedj temporis usuras, sed etiam partem sortis, aliquando maiorem aliquando minorem perderent.

Iniquitatem quandam sane hoc sapit. Sed quemadmodum privatum bonum semper publico est postponendum, ita certe & hoc in casu attendi nequit quod hic vel ille damnus patitur. cum verosimile sit per paucos ex inde damnus sensuros. nam anno 1619 ejusdem bonitatis erat moneta cujus est hodiè, & annus est quod moneta hodierna restituta est bonitati. ita vix integro biennio vilissima illa in usu fuit moneta.

Et si hoc paucorum damnus attendi deberet, quis non illo se tegeret pallio. Adeo amor lucri homines infecit ut si vel maximè in mutuo quoque contractus tempus inspiceretur, flocci, tamen

tamen sunt facturi quid & in quantum monetae bonitas crederi, nihilum, estimaturi quid leges quid magistratus jubeant, quid ratio dicat, quid aequitas exposulet. Quid ergo proderit aequissimum & juri convenientissimum dicere in mutuo contractus non solutionis tempus attendi debere? Eventus docet magis ex usu fuisse intrinsecam minoris monetae bonitatem, non fuisse auctam & mutatam quid enim profuit?

Cum Ioachimus quatuor Constitueret marcas Lubecenses & remedium jam esset inventum, ne ulterius minoris monetae materia corrumperetur, vel legitimum ejus pondus minueretur eo quod illi certum fuit indictum pondus & insuper certo quodam caractere sive signo fuit notata, an non omnes res tolerabili vendebantur pretio? annon omnium rerum copia & abundantia erat quarum nunc summa est penuria? quid profuit augere monetae minutae bonitatem? nisi fortassis quod inconueniens nomen remasisset. vocabatur enim duplex As sive ein Doppelschilling. Cum tamen si inspicias & attendas debitam & legitimam ejus bonitatem non duplex As sed as saltem sive ein Schilling jure dici possit. Sed quid interfuit & interest an duplex As dicatur an vero As simplex? Cum nomina tantum significandarum rerum gratia sint inventa, & parum intersit sive hoc sive alio quovis modo intelligantur.

An profuit illis qui certos habent annuos redditus? minime. An exaria Principium illo sunt aucta? nullius aut certe paucorum. Aucta sunt opes & facultates illorum qui merces venales exponunt, nec tamen omnium. Vendunt Cerevisarij, pistores, sutores & alij merces suas eodem pretio quo ante annum non attentam melioratione monetae, sive non detractam parte quartam. Decipit pistor sutorem sutor pistorem, & consequenter. Ita vilescit quodammodo apud nos pretium

rium argenti & auri quasim magna illa essent copia. cum  
subtilit minus nos premat.

Attenuantur opes singulorum, imminuitur potestas,  
imminuitur auctoritas superiorum. Oportetne Connivere  
& connivendo quodammodo ejusmodi peccata quasi bene  
gesta approbare, industriam & calliditatem cum Spartanis &  
Colchis laudare?

Insurgunt leges, armantur juragladio & flammis, ad-  
versus corruptores & depravatores monetarum. Sed qua-  
nam poena hosce manet?

Illos qui justis ponderis nummos à ceteris segre garunt &  
cum alijs nota deterioris pro aliquali lucro commutarunt, illos  
inquam quos Wippers & Rippers vocant, relegatione &  
bonorum confiscatione puniendos, imo ad bestias ad furcas  
damnandos & vel igni cremandos clamitant ii ipsi qui non  
minus peccarunt.

Certe non dubitarim plures ex illorum numero quos  
Wippers & Rippers vocant ex ignorantia (qua tamen non  
excusat) peccasse. sed quis quaso eorum, qui non attendunt  
quod Principium & aliorum Magistratum justis obtempera-  
re & quartam partem de pretio rerum pro qua nempe bonitas  
nummi crevit, detrabere oporteat, ignorantiam protendere  
poterit? Ita se res habet: delicta nostra propria qualia  
etiam sint veniam mereri, aliorum non satis acerbè & severè  
puniri posse putamus.

Hæc mala omnia quis non videt occasione nummi irrepsis-  
se. nec enim olim antequam nummus fuit inventus ejusmodi  
furtis subtilissimis & fraudibus fuit locus. nec ullum judicibus  
negotium fecerunt perplexa & difficiles illa monetaria quæstio-  
nes. nulla exinde rerum inopia nulla caritas, nulla poena, ut  
pote ubi incognitum planè fuit delictum. nec quisquam dixerit  
res


*res quas permutare consueverunt ejusmodi corruptionibus & fraudibus subiacere.*

*Quae cum ita sint, non dubito quin omnes occasione nummi damnum irreparabile, imo plus damni quam utilitatis communi hominum societati & imprimis toti Germania patria nostra afflictissima illatum mecum sint dicturi.*




Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





Hr. Neppien,  
Buchbinder  
in  
ROSTOCK  
bey der Marien-Kirche.





ia hac ita subtiliter probe & semper observare  
m fuit: Edictum ab illustriss: Principibus Me-  
minis nostris clementissimis promulgatum est,  
as sublata & in omni tali contractu solutionis  
debere tantum est.

idem diffiteor hodie non plus emi asse quam  
um tamen ejus intrinseca bonitas pro quarta  
Malitia est hac & avaritia hominum, qui nec  
c principum nec aliorum Magistratum iustis  
ere volunt.

Valentinus & Valens rescripserunt in l. 2.  
m. pote. Pro imminutione qua in aestimatio-  
tractatur omnium quoq; pretia specierum  
ere.

ni Principes Megap. Domini nostri clementif-  
to mandarunt & voluerunt, ut aucta jam bo-  
a moneta pro quarta parte, pro eadem quoq;  
tia decreverent.

illud & rationi convenientissimum edictum  
quintus Senatus Rostochiensis idem de suggestis

Sed pro dolor homines obliti mandati Divi-  
tie Magistrati debita, obliti dilectionis pro-  
quitatis tantum abest, ut rationem monetae &  
abuerint, ut etiam pluribus merces suas ven-  
uc vendant florenis hodiernis quam antiquis  
is.

tonna cerevisie Rostochiensis novem & am-  
pnicis que hodie apud nos talerum imperia-  
constituunt. Cum vero novem marca Da-  
rum imperialem cum ejus parte octava, ven-  
revisie octo marcis & ita talero uno. Ita  
himici valore pro quarta parte sive potius ex-  
crescente